



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia  
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,  
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

**Canisius, Heinrich**

**Coloniae Agrippinae, 1662**

In Cap. Cum in tua 27.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

neutr, & non exprimuntur, nullum effectum juris habeant, *per text in l. Si repetendi 7, C. De condit. ob caus quod & supra ad cap. proximum attigimus aduersus Innocent.*

In Cap. Cum in tua 27.

Vide quæ dixi ad c. Præterea 12, supra eod.

In Cap. Consultationi 28.

SUMMARI A.

1. Metus in muliere quantum requiratur.
2. Metus etiam minor in muliere iustus censetur.

**A**gitur hoc Cap. de mulieribus, quæ in valvis Ecclesiæ per Sacerdotem benedicendæ, obreundunt se minimè consensisse in matrimonium. Has responderet textus noster minimè audiendas esse, si sponsus legitimè, id est, per testes, aut per instrumentum contrarium probaverit.

Item agitur de illis, quæ jam benedictione perceptâ a sponsis aufugiunt, nondum subsecutâ carnis copulâ, asserentes, se quidem expressis verbis matrimonium contraxisse, sed reverâ animo dissensisse, propter metum adhibitum. Et has responderet merito audiri oportere, & cognosci, utrum talis metus sit, qui potest cadere in constantem virum. Ita textus noster, qui tamen non addit, an propter talem metum matrimonium pronuntiandum sit esse nullum. Proinde hic locus supplendus est, *ex c. Cum locum 14, h. 1.* & quæ ibidem retulimus, videlicet, ejusmodi matrimonium ipso jure esse nullum.

Quod adjicit textus, ante carnis copulam subsecutam, eum sensum habet, ut, si copula subsecuta fuerit, matrimonium propter metum retractari non debeat, utpote jam metu purgato per spontaneam copulam, sicut comprobavimus in *c. Ad id 21, sup eod.*

Cæterum oritur hic difficultas, cum inquit textus, diligenter inquirendum esse, utrum tali metu mulieres percussæ fuerint, qui potest cadere in constantem virum. \* Cum rationi non videatur consonum, ut idem metus in muliere, qui in viro requiratur cum hic constantior sit,

altera inconstantior naturâ suâ, *c. Forus 10, versu natura inf. De verb. signif. nam & hinc mulieres propter imbecillitatem sexus juvantur de naturâ consulto Velleiano, non viri, l. 2, & passim toto tit. D. Ad S C Velleianum.*

Atque hinc Glossa add. *c. Cum locum*, existimat minorem metum videri iustum in muliere, quàm in viro, quam ibidem notandam censeat Panormit. & Præposit. atque à plurimis commendatam tradit Navar. in *Manuali c. 22, n. 51*, tum eam memorabilem vocat in *consil. 10, n. 3*, *De iis quæ vi metus causa*. Eandem probant & alii apud Did. Covarr. in *hunc lib. IV. Decretal p. 2, c. 3, §. 14, n. 16*, *per text in can Indignantur xxxii q. 6, & facit text in cap Sicut 6, in pr. inf. De homicid*. Unde monet Covarr. judicem, ne tam anxie metum æstimet in muliere, quàm in viro, sed consideret, quid fœmina constans faceret, inspectâ scilicet naturali fœminarum constantia. Aliquid enim (inquit) cogeret fœminam etiam constantem ad eligendum id, quod vir constans minimè eligeret.

Quocirca & Panorm. & Butr. hic voculam, *Virum*, in fine textus nostri adjectam omittunt, quasi in eorum libris nulla viri mentio fiat, sed tantum loquatur de metu, qui potest cadere in constantem, sive is vir sit, sive mulier. Quibus tamen impressi libri refragantur, & deinde Præpos hic hanc eandem lectionem nostram sequitur. Ne autem ipse à Glossæ & aliorum sententiâ temerè discessisse videatur, putat in textu nostro subaudiendum esse, in constantem virum, vel mulierem constantem, aut sub nomine viri comprehendi etiam mulierem, sicut sub masculino continetur etiam fœmininum, idque absurditatis vitandæ causâ: quod & rectè dicitur à Præposito.

In Cap. Gemma 29.

SUMMARI A.

1. Matrimonia adjectione pœnæ aritari non debent.
2. Licet pœna etiam modica promittatur.

3. Stipulatio pœnalis an matrimonium contractum infirmet?

4. Arrha